



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. VIII. Rempubicam à Deo dependere testimonijs Christianorum
ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

rumpente, hac quidem inter domesticos. Externi vero quid? Indi mox audita morte Alexandri occisus eius praefectis se in libertatem vindicarunt, nec ultra Persidem & Mediam diu imperarunt Seleucidae. Iustinus l. 41. Arsacem Parthum defecisse, simul mille Bactrianorum vrbes, narrat Theodorus, & eorum exemplum secutos totius Orientis populos, & paritione Ponticas, Schythicasque gentes, vnde noua postea regna, & Respublica emerferunt.

Potentia
Ptolomaei.

Et confortabitur rex Aultri, Ptolomaeus Lagi filius, qui regni Macedonici meridianam partem Aegypti obtinuit, vir prudentissimus vt historicus ait. Sed Ptolomaeus in Aegypto solerti industria magnas opes parabat, quippe & Aegyptios insigni moderatione in fauorem sui sollicitauerat, & reges finitimos beneficiis, obsequiisque deuinxerat; terminos quoque imperij acquisita Cyrene vrbe ampliauerat, factusque iam tantus erat, vt non tam timere hostes, quam timendus ipse hostibus esset. Videantur quae de eo in Atticis Pausanias; fuit autem in ceteris ducibus inter se certantibus occasio crescendi habenti regnum firmum, nec incurfibus vllis obnoxium, à Rhodiis dictus est Soter quod contra Demetrium auxiliatus sit. Iudaeorum captis Ierosolymis centum & duodecim millia cepit, sed humanissime habuit, vt multi ex Iudaea vltro in Aegyptum sint profecti, illis arces, & vrbes credidit, quod iuramenti seruantissimos sciret ex Iaddi ad Alexandrum responso.

Vnus ille ex principibus eius est. Ptolomaeus Philadelphus fratrum insidiantium interfector, cui peditum centum millia, currum duo millia, Elephantum quadringenti, nauium longarum centum quinquaginta, onerariarum mille, argenti talenta annua quatuordecim millia octingenta. denique decies quinquies centena millia artabaturum frumenti, artaba modios tres, & vnam tertiam continet.

Alia gesta
predicta.

Berenice.

In fine autem annorum post multa & molesta certamina, inter Asiae & Aegypti reges, filia regis Aultri, Ptolomaei Philadelphi regis Aegypti filia Berenice veniit ad Regem Aquilonis Antiochum Sedv, vt amicitiam conciliet, cum magna dote, vt & p. p. p. nomen inuenerit. Sed non tenebit fortitudinem brachij, nec firmum erit duorum regnorum vinculum; Laodice enim prior vxor Antiochi maritum veneno occidet, Seleucum Callinicum regem constituet, Berenicen cum filio Antiochia principibus occidendos tradet. Imo qui eam adduxerunt, auctoresque matrimonij fuerunt, pariter occidentur. Stabit autem de germine radicem eius, nempe Ptolomaeus, Euergetes, frater Berenices, qui pene vniuersum regnum Seleuci occupauit. Historiam narrat Iustinus l. 27. Mortuo Syria rege Antiocho (Deo scilicet) cum in locum eius Seleucus successisset, hortante matre Laodice, qua inhibere deberet, auspicio regni à parricidio cepit, Quippe Berenicen nouercam suam, sororem Ptolomaei regis Aegypti, cum paruulo fratre ex ea suscepto, interfecit, quo facinore perpetrato, & insanie maculam subijt, & Ptolomaei bello se implicuit. Porro Berenice cum ad se interficiendum missos didicisset, Daphne se claudit, vbi cum obsideri eam cum paruulo filio, nuntiatum ciuitatibus Asiae esset, recordatione paterna, maiorumque eius dignitatis, casum tam indigna fortuna miserantes, auxilia ei omnes misere, frater quoque Ptolomaeus periculo sororis excitus, relicto regno cum omnibus viribus aduolat, sed Berenice ante aduentum auxiliorum, cum vi non posset expugnari, dolo circumuenta trucidatur; Indigna res omnibus visa, itaque cum vniuersa ciuitates qua defecerant, ingentem classim comparassent, repentino exemplo crudelitatis exterrita, simul & in vltionem eius, quam defensori fuerant, Ptolomaeus se tradunt, qui nisi in regnum domestica seditione reuocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset.

Historia à
Propheta
narratur.

Itaque apparet cur dicat Daniel: Insuper & Deos eorum, & sculptilia, vasa quoque preciosa argenti, & auri caprina ducet in Aegyptum: Historici autem illa quae olim

Cambyfes extulerat reduxisse. Seditione enim domestica reuocatus, 40000. talentorum auri, 2500. Deorum secum auxit, omnia autem vsque ad Euphratem occupauit.

§. 9. Reliquorum expositione superfedeo, quibus si nomina regum adiungas, ex prophetia perfectam historiam conficies. Tulector Dei praesentiam accuratissime omnia acta, omnes animos omnium peruidenter considera, omnium euentuum conscium numen reuerere. Atque omnia à Deo esse, à Deo conseruari, sine Deo consilia humana in irritum cadere, atque in summas calamitates verti inuenies, potentium illae nuptiae, primo reges, reginas, liberos deinde ipsa regna internecino bello colliferunt.

Futurorum igitur praeotio certissimum est diuinitatis omnia imperia moderantis, & nunquam fallax signum. Sic Isaia 41. Annunciate nobis quae ventura sunt in futurum, & sciemus quia dixistis vos.

Quas inter etiam illam de Cyro manifestissimam refero, quae illi post ducentos annos regnum adepti ostensa est. vt Ioseph. c. 11. antiq. c. 1. narrat.

CAPVT VIII.

Rempubicam à Deo dependere testimoniis Christianorum ostenditur.

§. 1. S Vperuacaneum videri hoc possit, cum patrum multi integros ea de re tractatus conscripserint, sed tamen ex his pauca delibare ad institutam disputationem haud fuerit inutile.

Tertullianus apol. contra gentes c. 17. Quod colimus nos, Deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum; verbo quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suae. Et c. 18. Videte igitur ne ille regna dispenseret, cuius est & orbis, qui regnatur, & homo ipse qui regnat, ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinaret, qui ante omne tempus fuit, & seculum corporum tempus fecit, ne ille ciuitates tollat, aut deprimat, sub quo fuit aliquando sine ciuitatibus genus hominum.

Tertullian.
Deus omnia regna disponit.

S. Basiliius Hexem. hom. 7. Nemo homo stellarum scientia praeditus, nemo Chaldaeus procellas ex ortu siderum coniectans aeris turbulam erinaceum docuit: sed marium dominator, atque ventorum, huic etiam animanti paruo immensa sua sapientia vestigium euidens, & apertum impressit. Nihil est prorsus quod sub prouidentiam Dei non cadat. Nihil est omnino, quod à Deo neglectum sit: omnia explorat, omnia conspiciat oculus ille peringit: omnibus adest, facultatemque salutis cuique praestat. Si erinaceum Deus à sua prouidentia non excludit, ea quae ad te pertinent non explorat? non conspiciat?

Basiliius.
Deus etiam animantium curam suscipit.

Et in hac verba Psalmi 32. Non saluatur rex per multam virtutem. Non exercitus militaris, non quantus munitio, non ciuitatum moenia, non peditum phalanx, non equestris turma, non naualis muniminis praeparatio, regi salutem parit. Kie & xadis & xis & xis & xis & xis, Dominus constituit, & destituit reges. Seruatur ergo rex non per multam virtutem, sed per diuinam gratiam.

Deus seruatur & destituit reges.

Athanasius oratione contra Gentes: Ita quoque in vniuersitatis istius ordine & harmonia, necesse est, vt animaduertamus omnium istorum principem esse Deum, eumque vnum & non plures. Nam ille dispositionis ordo, & rerum omnium consentiens harmonia, non multos, sed vnum sibi ducem, principemque declarat esse, nimirum verbum Dei.

Deinde in eadem oratione. Ipse igitur omnipotens, omnino integer, sanctus ipsius Dei sermo, & ratio omnibus incumbens, & vbique suas vires explicans, illustrans omnia, cum qua oculis apparent, tum qua oculis subterfugunt. Vniuersa in se continet, & constringit, nihilque desertum à sua potentia relinquit, sed omnia in omnibus, singula in singulis, publice vniuersa

universa vivificat, & conservat, initia, elementaque omnia sensibilibus substantia.

Irenaeus. Irenaeus adversus haeres. lib. 3. cap. 41. Providentiam autem habet Deus omnium, propter hoc & consilium dat: consilium autem datus adest his, qui morum providentiam habent. Necesse est igitur ea quae providentur & gubernantur, cognoscere suum rectorem: quae quidem non sunt irrationabilia; neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de providentia Dei. Et propter hoc Ethnicorum quidam, qui minus illecebris ac voluptatibus servierunt, & non in tantum superstitione idolorum abducti sunt; providentia eius moti, licet tenuiter, tamen conversi sunt, ut dicerent fabricatorem huius universitatis Patrem omnium providentem, & disponentem secundum nos mundum.

Augustinus. Augustinus de civitate Dei, lib. 5. cap. 10. Neque enim & vitam Dei & praesentiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper vivere, & cuncta praeficere: sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minor esset virtutis potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori, & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiundo quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens.

Augustinus de civitate Dei lib. 4. cap. 28. Sicut autem porcerum aurum habere Romani, quamvis Deum Aurum non colerent: Sic & argentum habere potuerunt, & aurum, si nec argentum, nec eius patrem colerent Aesculanum: & sic omnia quae retexere pigit. Sic ergo & regnum invito quidem Deo vero nullo modo habere possent, Diis vero istis falsis, & multis ignoratis, siue contemptis, atque vno illo incognito, & fide sincera ac moribus culto, & melius hic regnum haberent, quantumcunque haberent, & post hoc acciperent sempiternum, siue hic haberent, siue non haberent.

Augustinus de civitate Dei lib. 5. cap. 1. Iam consequenter videamus, qua causa Deus, qui potest & illa bona dare, quae habere possunt etiam non boni, ac per hoc etiam non felices, Romanum imperium tam magnum tamque diuturnum esse voluerit. Quia enim hoc Deorum falsorum illa, quam colebant, multitudo non fecit, & multam diximus, & ubi visum fuerit opportunum esse dicemus. Causa ergo magnitudinis imperij Romani, nec fortuita est, nec fatalis, secundum eorum sententiam siue opinionem, quae ea fortuita dicunt esse, quae vel nullis causis habent, vel non ex aliquo rationabili venientes: & ea fatalia, quae praeter Dei & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingunt. Prorsus divina providentia regna constituuntur humana.

Petrus Chrysologus. Potentia Domini non est maior in regno potentissimo confirmando, quam in tugurio pauperis evertendo. Quis enim in Graecia potentior fuit Alexandro? Et tamen successisse legitur, non suus, sed saltatricis filius.

S. 2. Vere igitur Augustinus l. 5. de civitate Dei, c. 11. Deus itaque summus & verus cum verbo suo, & spiritu sancto, quae tria unum sunt, Deus unus, omnipotens, creator, & factor omnis animae, atque omnis corporis: cuius sunt participatione felices, quicunque sunt veritate, non vanitate felices: qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore: qui cum peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit: qui bonis & malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam feminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo; a quo est mensura, numerus, pondus: a quo est quicquid naturaliter est, cuiuscunque generis est, cuiuscunque estimationis est: a quo sunt semina formarum, forma seminum, motus seminum atque formarum. Qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis securitatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam: qui & animae irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum: rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non solum caelum, &

terram, nec solum angelum, & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbe flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia; & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo est credendus regna hominum eorumque dominationes & servitutes, à sua providentia legibus alienas esse voluisse.

Sane tam magna nunquam negliget, cui tam parva cura sunt, Numeravit capillos nostros, imò ut notat Tertullianus setas porcorum: non numeravit provincias regum, urbesque terrarum?

S. Augustinus lib. 5. de civitate Dei, cap. 19. idem pulcherrime describit, & malos non sine providentia regnare ostendit. Sed qui contemnit iudicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem: quorum tamen, si vere bonus est, non contemnit salutem: quoniam tanta iustitia est, qui de spiritu Dei virtutes habet, ut etiam ipsos diligat inimicos: & ita diligat, ut susurriones, vel detractores velit correctos habere consortes: non in terrena patria, sed superna. In laudationibus autem suis, quamvis parumpendat, quod eum laudant, non tamen parumpendit, quod eum amant: nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes. Ideoque instat ardentius, ut potius ille lauderetur, a quo habet homo, quicquid in eo iure laudatur. Qui autem contemptor gloria, dominationis est avidus, bestias superat, siue crudelitatis virtus, siue luxuria. Tales quidam Romani fuerunt. Non enim cura existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tamen fuisse, prodit Historia. Sed huius vitij summitatem, & quasi arcem quandam Nero Caesar primus obtinuit: cuius fuit tanta luxuries ut nihil ab eo putaretur virile metuendum: tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur. Etiam talibus tamen dominandi potestas non datur, nisi summa Dei providentia, quando res humanas indicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re vox divina est, loquente Dei sapientia: per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram.

Concludit igitur S. Augustinus lib. 5. de civitate Dei, cap. 21.

Qua cum ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno caelorum solis piis: regnum vero terrenum & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.

CAPUT IX.

Rempubicam à Deo esse & dependere ex praedictionibus aliis cognoscitur.

S. 1. **M**INVS est hoc argumentum firmum apud sinceros iudices, & orthodoxos, quam Historia geid, quod ex sacris literis depromptum, apud neri hu- Pseudo-politicos tamen, qui scripturae sacrae non mani non credunt, cum omnino historiam humani generis credere po- negare non audeant, multum ponderis habeat ne- liticum non cesse est. Si enim est divinitus, igitur etiam est pro- est. uidentia alicuius numinis; Si providentia, igitur administratio rerum ad numen pertinet, non igitur casu, aut humana duntaxat ratione res humanae gubernantur. At vero rerum futurarum praedictionem esse ostendunt, non illa modo, quae ex sacris scripturis differuimus, sed multa quoque in vita eommuni acciderunt, atque etiamnum eveniunt, quae eam ita confirmant, ut nemo nisi plane ab omni humanitatis & historiae cognitione abhorreat, negare illa possit.

S. 2. Prophetia & oracula vera, apud quoscun- Nihil vere que reperiantur, non nisi Deo loquente, contin- occultu firi- gener futura pandunt, vel occulta manifestant, Deo cogno- quae nemo nisi solus Deus indicare potuit: Natura- scitur.